



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

10 Vtrum in actionibus naturalium& irrationalium agentium vera
causalitas finalis intercedat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

propter quod aliquid fit: Deus autem verè ac propriè est id propter quod creaturæ fiunt, iuxta illud Prou. 6. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.* Tertiò, quia causa finalis vt sic nullam includit imperfectionem, imò censetur esse prima, & perfectissima omnium causarum modo inferius explicando: ergo conuenit Deo propriè ac formaliter, & cum summa perfectione: non conuenit autem illi nisi respectu effectuum ad extra: ergo.

Quare dicendum est, quod licet causa finalis non causet propriè effectus suos nisi quodammodo medio agente quod mouet & allicit ad operandum, tamen, vt finis sit propria causa effectus agentis, necessarium non est, vt prius habeat in ipso agere aliquam causalitatem propriam. Nam licet hoc contingat in agentibus intellectualib. creatis, eo quod immediatè ipsa se mouent, seu applicant ad operandum, vel amandum per aliquam realem motionem, & propriam causalitatem: tamen in agente intellectu in creatore id non est necessarium, quia sine vlla sui mutatione, vel reali additione, dependentia, aut causalitate, simplicissimo & eminentissimo modo sese applicet (vt ita dicam) seu determinat ad libere amandum & operandum. Cõstitit autem causalitas finis Dei respectu effectuum ad extra in hoc, quod Deus intuitu & amore suæ bonitatis effectus extra se producit: vnde ipsamet operatio quam ad extra habet, essentialiter pendet à Deo tum in ratione efficientis, tum etiam in ratione finis, quia respicit Deum & vt omnipotentem, & vt summè bonum, qui ratione suæ bonitatis, & dignus est vt omnia ad ipsum vt ad finem ordinentur, & seipsum dicto eminenti modo inclinat ad communicandam alijs suam bonitatem propter ipsam. Atque ita facilis est responsio ad rationem dubitandam: negamus enim esse semper necessariam causalitatem finis intra ipsum agens, vt habere possit locum extra ipsum in alios effectus eius: quomodo inferius etiam declarabimus habere locum in effectibus Dei causalitatem exemplarem, sine vlla causalitate propria intra ipsum Deum.

Atque hinc expeditur facile dubium quod attingit Caietanus circa dictum art. 4. q. 4. 1. part. an possit concedi Deum vt agens est, habere causam finalem: quod idem est ac querere, an actio Dei ad extra habeat propriam finalem causam. Dicendum est enim habere quidem causam finalem. Nam Deus verè ac propriè exercet illam actionem propter aliquem finem quem intendit. Item quia, vt D. Thom. ait in illo articulo, idem est finis agentis & patientis, licet diuersimodè: est autem sermo de agente vt agens est, & de patiente latè vt se extendit ad effectum ab agente factum: sed effectus Dei vt sic habet propriam causam finalem: ergo actio Dei vt sic habet eandem causam finalem, quæ licet non sit finis Dei, est tamen finis effectuum Dei, & consequenter etiam actionis eius: finis enim ad quem ordinatur effectus, est qui mouet agens ad operandum: vnde ad eundem ordinat actionem suam.

Sed statim insurgit difficultas, nam actio Dei est ipsa essentia Dei: ergo non potest habere causam finalem. In qua obiectione hærent & laborant Thomistæ: & Caietanus responderet illam actionem quantum ad re quæ est actio, non habere causam finalem: formaliter tamen in quantum actio est habere causam finalem ipsam bonitatem Dei. Sed non satisfacet responsio, quia vel illa actio vt actio, aliquid rei addit ipsi Deo, & sic non erit in Deo, vel nihil rei addit, & secundum id non potest habere causam finalem. Respondent nonnulli moderni, actionem vt sic, solum addere respectum rationis illi intrinsecum, & quantum ad illum habere causam finalem. Adduntque, cum finis moueat agentem Metaphoricè, non esse necessarium vt inter finem & agentem, seu eius operationem sit realis distinctio, sed sufficere distinctionem rationis: & quod agens determinetur à finem Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

ne ad actionem, siue illa determinatio sit per modum realem, siue per modum rationis. Sed hæc doctrina falsa est, & incidit in opinionem Soncinatis, & ex illa plane sequitur amorem Dei vt liberè terminatum ad creaturas, habere propriam causam finalem: quod tamen esse omnino falsum ostensum est. Et sequela patet, nam in illa determinatione libera est etiam identitas realis, & modus rationis, proueniens suo modo à Deo vt à fine. Item falsum est, relationem rationis esse de intrinseca ratione actus realis, cum illa nihil sit. Ideoq; etiam non magis potest intelligi quod per propriam causalitatem finalem causetur, quam quod per propriam efficientiam. Et ideo alij Thomistæ negant quod diximus, nempe Deum ita operari propter finem, vt ille finis sit causa actionis Dei, sed tantum passionis, vt sic dicam, seu effectus, aut etiam ipsius fieri. In quo quidem videntur consequenter loqui, nam iuxta illos, actio Dei non est aliud quam volitio Dei: volitio autem Dei non potest habere causam finalem. Sed ex falso fundamento coacti sunt recedere à vera sententia.

Et ideo facilius respondetur negando antecedens, nam actio Dei transiens non est Deus, nec in Deo, sed in creatura, & ideo habere potest causam finalem, & ordinari in finem. Atque ita, licet Deus non habeat finem sui esse, habet tamen finem suæ actionis transiens: qui si sit finis proximus, esse potest aliquid extra Deum: agit enim Deus ad extra vt sese communit: quæ communicatio aliquid est extra Deum, & in vniuersum actio dici potest ordinari in terminum vt in suum finem: si vero sit sermo de fine vltimo, est ipsemet Deus, non quia intendat aliquid commodum vel bonum sibi acquirere, sed quia agit propter suam bonitatem communicandam & manifestandam. Et hanc sententiam bene declarat Durandus in 2. distinctione 1. quæst. 6. quamuis nonnulla misceat quæ vera non sunt, quæ nunc examinare non est necesse.

XII.

Veræ responsio.

SECTIO X.

Prum in actionibus naturalium & irrationalium agentium vera causalitas finalis intercedat.



Hæc quæstio generalis est de omnibus agentibus carentibus intellectu & voluntate, quibus omnibus commune est vt non possint actiones suas vel media ad finem referre seu ordinare. Et hinc oritur dubitandi ratio: nam propria causalitas finis non est sine hac ordinatione, vt satis declarant illæ particule *cuius gratia*, & propter quod aliquid fit, quibus causalitas finis solet declarari: & ideo difficile est inuenire aut declarare causalitatem finalem in actionibus horum agentium, & in effectibus eorum prout ab ipsis prouenit. In contrarium verò est, quia hæc etiam agentia agunt propter finem, vt latè probat Aristot. in 2. Physico. cap. 7. non potest autem intelligi operatio propter finem sine causalitate finis. Et de brutis est specialis difficultas, nam illa verè mouentur ad amandum ex aliqua cognitione boni: ergo intercedit in eo affectu & opere motio Metaphorica boni cogniti: ergo illa pertinet ad veram causalitatem finalem. Atq; hoc confirmat experientia, nam videmus hirundinem ita congregare paleas vel aliquid simile efficere, sicut expedit ad finem suum, & sic de alijs.

I.

Ratio dubitandi.

Vetus opinio de agentibus naturalibus.

In hac re fuit antiqua opinio veterum Philosophorum negantium opera naturæ pronenire ex intentione alicuius finis, sed casu ita constituisse, vel ex consuetudine.

II.

cu su atomorum temerè ita concurrentium, vel ex necessitate materiz, vt citato loco 2. Physic. c. 7. & 8. contra Anaxagoram, Empedoclem, Democritum, & Epicurum disputat Aristotelis. Quæ sententia adeo est absurda, vt refutatione non egeat. Oportet tamen aduertere, aliud esse agere de constitutione totius vniuersi, & de actione vniuersalis naturæ ad ipsi componendum, & ita regendum vt conseruari possit, aliud verò de actionibus propriis singulorum agentium naturalium. Prior actio seu effectio re vera non est actio alicuius agentis naturalis intellectu carentis, sed est actio supremi authoris naturæ, qui sua sapientia totam vniuersi naturam condidit ac moderatur: & ideo actio illa ad præsentem quæstionem non spectat, nec de illa dubitari potest, quin propter finem ab autore suo intentum, atque adeo ex causalitate finis profecta sit, iuxta doctrinam præcedentis sectionis. Atque hoc euidentissimè docet ipsa vniuersi pulchritudo, & mira partium eius, & causarum omnium consensio & ordinatio. Ex qua nõ solum sancti Patres, sed etiã sapientiores Philosophi vnum esse huius vniuersi autorem, & gubernatorem, qui in finem à se intentum omnia constituit & ordinavit, intellexerunt, vt latius infra tractabimus demonstrando Deum esse, & multa de hac re eruditè & breuiter indicantur Conimbricenses lib. 2. Physicor. c. 9. q. 1.

III.

Solum ergo hinc inquirimus de actionibus naturalium causarum, siue illæ sint omnino particulares, vt ignis, plantæ, &c. siue aliquo modo vniuersales, vt coeli. De quibus præterea certum & clarum est, non casu aut contingenter certas actiones operari, sed vnumquodque agens naturale ex propensione propriæ naturæ habere definitam operationem, & operandi modum, ac certum terminum, in quem per suam operationem tendit. Quod etiam est euidentis experientia, nam lapis suo motu naturali semper fertur deorsum, ignis semper calefacit; ex diuersis seminibus diuersa viuientia procreantur, & aliæ potestates & organa ad hoc munus, aliæ verò ad alia destinatae sunt, & eam formam, situm, & reliqua omnia ad operandum necessaria in ea proportionem habent res singulæ, quæ ad tales actiones vel effectus necessariae sunt. Quod in omnibus rebus naturalibus, & præsertim in viuentibus, & animalibus videre licet. Fuitq; hoc necessarium ad conuenientem ipsius vniuersi compositionem, & gubernationem, nam cum ex variis rebus & contrariis consistet, quæ varias etiam, & interdum contrarias actiones exercent, si non essent omnia ita constituta, vt singula ordinatè sua munera obirent, in ipso vniuerso summa esset confusio, & res ipsæ minimè conseruari possent. vt autem huiusmodi concentus & ordo ex tot rebus conseruari possent, necessarium fuit res singulas in destinatos fines seu terminos suis actionibus tendere, ex quibus totius vniuersi bonum consergeret. Item hac ratione videmus naturales motus regulariter eodem modo perfici, raroq; deficere, idq; non absque aliquo extrinseco impedimento occurrente. Item, in suis operibus ita se gerunt res naturales, sicut expedit vt ad connaturalem terminum perueniant, quo termino consecuto cessant ab operando. Hæc ergo omnia sunt manifesta signa, hæc agentia naturalia operari non casu ac temere, sed definito modo tendendo in certum aliquem scopum.

Vide Lactanzium lib. de Opificio Dei & D. Tho. 3. cons. Gent. c. 2.

VI.

Reiectis igitur in quæstione difficultatibus

Iam verò solum superest quæstio (quæ ex parte videtur pertinere posse ad loquendi modum) an ratione huius determinationis dicenda sint hæc agentia agere propter finem, & (quod ad nos magis spectat) an eorum actiones dici possunt proprie causatae à finali causa. Aliqui enim simpliciter negant vtrumque loquendi modum, quia ipsa agentia non mouentur a fine, in quo propriè causalitas finis consistit. Item finis respectu harum actionum non se habet vt principium, sed tantum vt terminus: locus e-

nim deorsum respectu lapidis, non est principium motus quo descendit, sed tantum terminus: finis autem, vt sæpe diximus, vt habet solum rationem termini non est causa, sed vt aliquo modo est principium. Alii verò simpliciter putant admittendas esse illas locutiones, quia Aristoteles absolute ait agentia naturalia operari propter finem, & formam dicit esse finem naturalis generationis, & significat esse propriè causam finalem. Item quia natura summo artificio, & industria has suas operationes exercere videtur, per media valde proportionata fini.

Resolutio de causalitate finis in agentibus merè naturalibus.

Nihilominus proprius modus loquendi in hac materia est, actiones horum agentium naturalium esse propter finem, & esse effecta causæ finalis. Non tamen vt præcisè egrediuntur ab ipsis naturalibus agentibus, sed vt simul sunt à primo agente, quod in omnibus & per omnia operatur. Vel e conuerso (& ferè in idem redit) prout ipsa proxima agentia substantiè directioni & intentioni superioris agentis. Et ideo ipsa agentia naturalia non tam dicuntur operari propter finem, quam dirigi in finem à superiori agente. Ita explicantur rem hanc sapientiores Theologi & Philosophi, D. Thom. 1. p. quæst. 103. ar. 1. & 3. cont. Gent. c. 25. vbi vtitur communi exemplo de sagitta, quæ in certum scopum tendit, non tamen in illum se dirigit, sed à iaculante dirigitur. Idem Albertus in 2. Physicorum cap. 2. & ibi alii Philosophi, & Simplicius tex. 78. sumunturque ex Aristotele ibi, & 1. de Cælo c. 4. text. 32. vbi dum coniungit Deum & naturam, dicens, nihil facere frustra, satis indicat naturam in agendo propter finem subordinari Deo. Et eodem modo lib. 2. de partib. animal. c. 13. ait, naturam nihil agere frustra: & ibidem ait naturam velle hoc vel illud propter finem: quod non potest intelligi de natura, nisi propter autorem suum. Et eo sensu ait 4. de Generat. animal. cap. 2. Omnia, quæ natura, vel arte fiunt, ratione aliqua fiunt. Et hinc etiã manauit illud tritum axioma, Opus nature esse opus intelligentiæ, vt est apud Auerroem 12. Metaphysic. com. 16. & Themistium 1. Physic. tex. 81. & 1. de Anim. tex. 13. Denique ideo Hippocrates, quem imitatur Galenus libr. 1. de vñu part. naturalia agentia, docta & indocta vocat, indocta in se, docta in directione primæ causæ.

Atque ita sit, vt his actionibus, vt sunt à naturalibus agentibus non sit propria causalitas finalis, sed solum habitudo ad certum terminum: vt verò sunt à Deo, ita sit in illis causalitas finalis, sicut in aliis externis & transcurrentibus actionibus Dei. Adequatum enim principium harum actionum non est solum proximum agens naturale, nisi forte secundum quid scilicet in tali ordine; tamen absolute præcipuum est prima causa: ideoq; in adæquato principio tali actionum includitur intellectualis causa intendens finem earum.

Vnde vltèrius rectè concludit Aristoteles, primam radicem ob quam res naturales habent has dispositiones, vel hæc organa, aut has partes & similia, nõ esse sumendam ex sola materia, sed ex fine. Nam si materia sit, matur secundum se, indifferens est, & nullam habet necessitatem harum dispositionum seu proprietatum: si verò supponatur vt iam affecta his vel illis dispositionibus iam illæ introductæ sunt propter aliquem finem seu formam, & ipsa forma indiget illis propter suam conseruationem, vel propter aliquam operationem: ipsa verò operatio rursus est vel propter conseruationem speciei aut ipsiusmet indiuidui, aut saltem propter communicationem suæ perfectionis, in his enim naturalibus agentibus.

gentibus non sunt operationes, quæ ipsæmet sint fines; hoc enim proprium est intellectualium rerum. Atque ut omnis connexus & necessitas connaturalis, quæ per se est in his rebus naturalibus, sumitur ex ordine ad finem. Neque obstat quod naturales proprietates necessario conueniant propter intrinsecam dimanationem à forma, quia vna habitudo non repugnat alteri, sed habent inter se subordinationem, nā illa necessaria dimanatio reducit ad efficientem causam, quæ subordinata est finali; ideò enim natura dedit tali formæ viam, vt ab ea dimanarēt tales proprietates, quia illæ sunt accommodatæ ad finem propter quem effrēt quæ per talem formam constituitur. Sicutur tam in constitutione & formatione harum rerum, quam in earum actione reperitur concursus finalis causæ: intentio autē propria talis finis non est in inferiori naturali agentibus, sed in prima causa.

res naturales mouentur vel operantur iuxta proprias & peculiaries inclinationes suas, cum per illas etiam defuerint commodis & conseruationis totius vniuersi, & suarum specierum, vel etiam indiuiduorum, & precipue hominis, in eis etiam operari ex directione in finem, per subordinationem ad superius agens.

Ad confirmationem responderetur simpliciter ne-
gando sequelam: quin potius Aristot. 2. *Physic. text. 82.* inde confirmat hæc agentia naturalia agere pro-
pter finem, quia sicut ars intendens finem, interdum
illum non assequitur, ita in actionibus naturæ, eo q-
certum finem intendat, inde sequi monstra seu
peccata naturæ, quia non semper possunt finem su-
um assequi propter impedimentum occurrere. Alio-
qui, si natura non tenderet in certum finem, nulla ef-
ficeret monstra in natura, quia non magis aberraret ab
scopo, efficiendo monstrum, quam efficiendo quod-
libet aliud: nam monstrum propriè est vitium natu-
ræ à fine suo deficientis. Quod verò obiciatur de
intentione authoris naturæ, nil obstat quia illa intē-
tio non semper est absoluta & efficax, seu (vt Theo-
logorū more loquamur) per voluntatem beneplaci-
ti, vel consequentem, sed per voluntatem generalem
vel antecedentem: quæ est quasi conditionata intē-
tio, quæ in hoc consistit, quod Deus vult effectum
perfectum sequi, quantum iuxta ordinem naturalium
causarum sequi potuerit, cum quibus quantum in i-
pso est, vult concurrere. Simul autem vel permittit,
vel etiam interdum vult & intendit monstra vel pec-
cata naturæ, vel propter vniuersi pulchritudinem &
varietatem, vel per causas naturales suos motus &
cursus agere sinat. Et ideo neque cum causa impedi-
ta ab alia extraordinario modo vult concurrere, ne-
que etiam impiedientem causam peculiari cura aut
providentia remouere, regulariter loquendo, quā-
uis ob commune bonum interdum id efficiat, de
quo latius Theologi partim in 1. distinctione 45. partim
in 2. distinctione 37. & Dñus Thomas 1. parte.
quæstione 22. & quæstione 105. & legi potest Augu-
stin. 16. de Ciuitate capite 8. & libro 83. quæstionum
quæ 24.

*Quomodo bruta animalia propter finem ope-
rentur.*

Superest, vt de brutis animantib. pauca dicamus, XII.
In eis enim maior quædam apparet participatio
Leg. Plin.
 causalitatis finalis. Primo quidem, quia à bono sibi
lib. 8. sua bi-
 conueniente & cognito, Metaphoricè alliciuntur, at-
flor. Plutar.
 que ita in illud tendunt per actum à se elicicum, & ab
in proprio
 illa motione Metaphorica caufatum: illa ergo mo-
lib. de ind.
 tio aliqua realis causalitas est, & non nisi finalis. De-
Porphy.
 inde vt consequantur illud obiectum conueniens
Aristot.
 quod appetiuerunt, certa media etiam à se cognita ap-
 petunt tanta industria & prudentia, vt videantur
 plane & cognoscere vtilitatem eorum ad finem, &
 propter illam ea appetere. De qua sagacitate & in-
 dustria animalium, & multa scribunt Philosophi, &
 quotidiana experientia nobis satis constat. Quæ ad-
 dè mouerunt nonnullos Philosophos, vt existima-
 rent bruta vti ratione, licet imbecilliori & imperfe-
 ctiori quam homines. Quæ sententia referri solet ex
 Porphyrio lib. 3. de Abstinencia. Est tamen non so-
 lum à doctrina nostræ fidei aliena, verum etiam ab
 omni ratione, & communi hominum sensu: nam
 potentia rationalis, vt Aristoteles dixit 9. Metaphy-
 sicorum, valens est ad opposita, nam medio dis-
 cursu in rebus agendis nunc hoc medio, postea alio
 vtitur: bellæ autem non ita operantur, sed semper
 eodem modo: quod sufficiens signum est non ratio-
 ne, sed impetu naturæ duci. Adde, quod si animæ
 brutorum rationales essent, etiam essent immor-
 tales.

A a a 2

Alia

Vnde tandem addo, plures esse motus, vel actiones in his rebus naturalibus, quarum non potest sufficiens ratio reddi ex privatis proprietatibus, vel inclinationibus singularum rerum: aqua enim flumina ascendit ad replendum vacuum, cuius ratio ex peculiari aquæ natura ac proprio impetu reddi non potest, sed ex fine, qui in perfectione totius viuerit sit politus, quem oportet ab alio superiori agente intendi. Simile est de aqua maris, quæ ita in litore continetur, ut menses fluctus suos, et terram nunquam cooperiat; vti quæ propter fœtorum & viuiculi salutem, quem finem intendit supremus naturalium Gubernator. Ex his ergo intelligimus, quædo hæc

Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

XIII.
Bruta nihil
sine cogno-
scere, aut vi-
saliter appe-
tere, abjur-
dum.

XIV.
Bruta ratio-
nem finis
formaliter
non norunt.

Leges D. Th.
1 p. q. 78 ar.
4 & q. 87.
ar. 1 ad 3. &
2. 2 q. 72. a.
1 ad 3.

XV.
Bruta quia
finem causa-
litatem par-
ticipant.

Alij verò, vt hoc vitarent incommo-
dum in alium
extremum errorem inciderunt, negantes bruta quic-
quam verè cognoscere aut appetere appetitu elicitò,
sed solum naturali pondere ferri, vt lapidem, aut ex-
trinsecus mota & attracta, sicut ferrum trahitur à ma-
gnete. Verum hoc æque absurdum est, & contra eui-
dentem experientiam, imò & contra diuinam Scri-
pturam. Veruntamen contra hos duos errores in sci-
entia de anima agendum est latius.

Quod ergo ad præsens attinet, dicendum est bru-
ta nò cognoscere formaliter rationem finis aut me-
dij, quia non possunt vnum cum alio conferre: vnde
nec in ipso fine cognoscunt propriam rationem con-
uenientie propter quam est per se amabilis, imò nec
discernunt inter obiectum, quatenus est conueniens
per se, vel propter aliud, quia hoc totum magnam
discretionem rationis requirit. Aliquo tamen modo
cognoscunt & apprehendunt rem aliquam, aut mo-
tionem vt sibi conuenientem: & naturali instinctu iu-
dicant sibi esse appetendum, prosequendum, vel fu-
giendum tale obiectum. Qui naturalis instinctus ni-
hil aliud est, quam quidam actus phantasie seu æti-
mativæ, necessitate naturali ab illa profluens posito
phantasmate talis rei: quo actu practicè (vt humano
modo loquar) iudicat brutum hoc esse sibi vitandum,
vel prosequendum aut appetendum, quamvis non
valeat rationem conuenientie vel disconuenientie
discernere. Hoc autem naturali iudicio posito, ap-
petitus etiam naturaliter illud sequitur.

Ex quo fit primò, vt causalitas finis aliquo modo
participetur à brutis, vt argumentum factum con-
vincit, quia illa appetitio elicitæ sine dubio causatur
ex Metaphorica motione obiectiva boni conuenien-
tis, quæ non potest ad aliud genus causalitatis reuo-
cari. Nihilominus tamen addendum est illam cau-
salitatem adeo esse imperfectam in eo genere, vt fit
quasi materialis motio finis potius quam formalis,
vt significauit D. Thomas. 1. 2. q. 1. art. 2. & q. 6. art. 2.
Et ratio est, quia non cognoscunt formalem rationem
conuenientie vel vtilitatis: ergo non ita mouentur,
vt possint ordinare vnum in aliud, nec etiam aliquid
formaliter appetere vt propter se amabile: ergo non
tendunt formaliter in finem vt finem, nec in medi-
um vt medium, neq; in finem propter se, & in medi-
um propter finem, sed quantum est ex suo modo o-
perandi, æque tendunt in vtrumque, & ideo meritò
dicuntur materialiter potius, quam formaliter pro-
pter finem operari. Quapropter quantum ad for-
malem relationem in finem ita existimandum est de
actionibus brutorum, sicut aliorum agentium na-
turalium. Idemque iudicium est de appetitu sensiti-
uo hominis, si per se solum consideretur, & non vt
subest motioni voluntatis vel rationis, de quo a-
liàs.

DISPUTATIO XXIV.

De vltima finali causa, seu vltimo fine.

Qua sit hic
ratio agendi
de vltima
causa d. spu-
sationis.



Vanquam disputatio de vltimo fine
propria sit Philosophorum moralium,
tamen non potest Metaphysica, quæ
suprema sapientia naturalis est, illam
omnino prætermittere; quia sicut in
alijs generibus causarum primas causas contempla-
tur, quod hæcenus præstitimus, ita & in hoc. Vnde
& Arist. 2. Metaph. c. 2. hanc rem attigit, dum proba-
uit non dari processum in infinitum in finibus, & 12.
Metaph. primo motori attribuere videtur rationem
finis vltimi. Itaq; moralis Philosophus de fine vltimi
disputat in ordine ad morem hominum, & ad media
quibus comparandus est: Metaphysici verò est age-
re de vltimo fine, quatenus primam rationem cau-
sandi in hoc genere obtinet, & quatenus ab eo pen-

det omnis causalitas aliorum finium: & consequen-
ter quatenus ab eo pendet omnia entia quæ per cau-
salitatem esse participant: ac denique quatenus esse
finem vltimum, attributum est primi entis. Duo igitur
breuiter de hoc fine vltimo explicabimus. Pri-
mum an sit, simulq; an vnus sit, & quis sit. Deinde
quem influxum habeat in hac ratione causandi.

SECTIO I.

An possit sufficienter probari ratione naturali, da-
ri aliquem vltimum finem, & non dari
processum in infinitum in causis
finalibus.



Vobis modis, vt in superioribus dixi-
mus, potest intelligi aliquem finem ef-
se vltimum, scilicet vel secundum quid
tantum, seu in aliqua serie mediocum
seu respectu alicuius intentionis, & e-
lectionum quæ ab ea procedunt, vel simpliciter, &
respectu rerum omnium, quæ in finem ordinari pos-
sunt: hic præcipue agimus de fine vltimo hoc poste-
riori modo, quia in eo sita est præcipua huius reij di-
ficultas: tamen vt à clarioribus procedamus, præmi-
temus aliqua de priori modo finis vltimi.

Resolutio de fine vltimo tantum secundum
quid.

Dico ergo primo: In omni serie seu intentione, &
actione propter finem necessario dandus est a-
liquis finis vltimus vel negatiue, id est, qui ad alium
finem in illa serie seu ex vi illius intentionis non or-
dinatur, vel etiam positiue secundum quid seu in il-
la serie, quia nimirum omnia, quæ ad illam pertinet,
ad talem finem referuntur, & ibi sistunt. Atq; in hoc
sensu impossibile est dari processum in infinitum in
his finibus. Hanc conclusionem præcipue intendit
Aristoteles lib. 2. Metaph. & ex vltima parte neces-
sario inferuntur reliquæ. Nam si procedendo ab ele-
ctione primi medij versus finem non proceditur in
infinitum, sistendum necessario est in aliquo, ultra
quem non tendat intentio: ille ergo erit finis vlti-
mus in illa serie: & negatiue, quia talis finis ad alium
non ordinatur, aliàs in eo non sisteretur: & positiue,
quia in illum referuntur omnia, quæ ad illam seriem
pertinent, cum omnia propter illu appetantur: nam
si quid non propter illum appeteretur, non pertine-
ret ad illam seriem, sed quali per accidens adiunge-
retur. Vt v. g. respectu medici, & in serie curationis
sanitas hominis est finis vltimus negatiue, quia illa
est per se intentæ, & ultra illam non progreditur in-
tentio medici, ideoque illa consecuta cessat actio: est
etiam finis vltimus positiue, quia ad illam referuntur
omnia quæ sunt illius artis, vt instrumenta ad medi-
camenta conficienda, medicamenta ad tèperandum
vel euacuandum humorem, & hoc tandem ad ipsam
sanitatem. Quod si aliquis fortasse medicamentum
etiam sumat, vel propter delectationem, vel propter
nutrimentum, iam ille finis non pertinet ad seriem
curationis, sed ad aliam intentionem per accidens
cum alia coniunctam.

Supere est vt vltimam partem conclusionis probe-
mus, quam late demonstrat Aristoteles citato loco:
facile autem in hunc modum formari potest de-
monstratio. Nam in primis descendendo ab intentione
finis ad electionem vel executionem mediocum,
necesse est vt tandem sistat electio in aliquo medio,
quod sit primum in executione, & vltimum in or-
dine intentionis, quia aliàs nunquam posset actio
inchoari, & ita frustranea esset omnis electio, quia
sem-